

quod si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non recipere personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt: & hoc *penitus impurum est & Simoniacum*, ait S. Bonaventura: "Quia ibi pecunia causa est receptionis personae, non est conversio. Et hoc plerique (pergit Doctor Seraphicus) etiam ex mera inopia faciunt, optantes aliquem venire cum pecunia, quam recipere, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita enterentur, vel aedificia construerentur."

VII. Secundo monet idem Doctor, illicitum quidem non esse, personam recipere non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo; *sed, ait, cave agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiae ex spe lucri.*

VIII. Haec omnia expendens Seraphica Mater Theresia; intelligensque quam facile ac quasi insensibiliter aliquid ex jam dictis interveniat, num persona, à qua temporalia, praesertim notabilia, sperantur, Religioni se praesentat, ad Confessarium suum scribit: "Pater quoties filias nihil secum in Conventum adherentes ex solo Dei amore suscipio, in explicable mihi gaudium esse pro certo habeo." *Epist. 16.*

IX. Et S. Franciscus *cap. 2. sua Regula* vult, "Ingressuris dicant Ministri Provinciales verbum Sancti Evangelii, quod *Radant & vendant omnia sua, & ea hinc ante panibus erogare.* Quod si facere non potuerim, sufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres, & eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus temporalibus; ut liberè faciant de rebus suis, quid quid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus distribuant."

Haec Franciscus, ut omnem inordinatum affectum ac similitudinem suspicionem in receptione rerum temporalium à Fratibus amoveret.

X. Quin ut occasiones malorum, quae tum ipsi offerentibus, tum recipientibus Fratibus imminerent, efficacius removeret S. Fructuosus Episcopus Bracarum *cap. 18. Regulae* statuit, "Ut *nihil de facultatibus* Ingredientis in eundem locum, ubi, ingredi se petit Monasterium, vel ad numerum numerum recipiatur; sed & ipse *manu sua cuncta pauperibus eroget.*"

XI. Tertio summo perè cavendum Religiosis, ne dum gratantur, & ex mera offerentium liberalitate superficiei tenus recipere videntur, blandimentis, variisque perulationibus, aut falsis subinde adductis motivis, ab Introitibus temporalia extorqueant; quo contingat, ut coacte potius extorta, quam voluntarie oblata accipiant, quod jam pridem Synodus Cabilonensis secunda acriter pertrinxit: "Constituit, sanè sacer iste Conventus, ut Episcopi, sive abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumvenientes, doctotunderunt, & res eorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius subriperunt, poenitentiae canonicae, sive Regulari, ut puta turpis lucri sectatores subjaceant."

XII. Et licet non semper ex parte Religiosorum similes inductiones interveniant, fatendum tamen, raro donationes & oblationes, quae fiunt à Novitiis in favorem Monasterii, procedere à libera omnino ac spontanea voluntate; sed frequenter ex timore ut minus reverentia, atque zelo non satis discreto & prudenti; atque hanc praecipua ratione jam pridem suspecte admodum & odiosae fuere hujusmodi donationes & oblationes, utilitè ostendit Ludovicus Servin Advocatus in Parlamento Parisiensi. *plaidoye 21.*

XIII. Et quidem in Gallia (uti testatur Julianus Brodeau in Notis ad Louvium *Litt. C. n. 8.*) regula generalis est, quod Religiosus Novitius neque professione instante, neque ante quidquam possit directè aut indirectè donare aut legare Monasterio in quo professio est emissurus in praedictum suorum haeredum, sive ex propriis bonis sive acqui-

stis aut etiam mobilibus, tam quoad proprietatem quam fructum; atque ita decisum esse Edicti Aurelianensis, *art. 19.* & expressus *art. 28.* Edicti Blesensis: quemadmodum, ait, per alias Ordinationes Regias cautum est, quod pupillus nec directè nec indirectè aliquid possit dare suo tutori, paedagogo, aut alteri suo curatori; aeger durante suo morbo medico, apothecario, chirurgo, aut suo cultodi; discipulus suo paedagogo; famulus aut famula suo heredi; eò quod praesumatur, hujusmodi donationes numquam procedere à voluntate omni ex parte plane libera, sed aliquo affectu reverentia ut minus, cum quadam violentia & metu, vel ex aliquo zelo immoderato, & liberalitate indiscreta, non condita sale prudentiae: & ut rectè notat Balsamon in Notis ad Can. 40. Epistole Canonicae S. Basilii: *Eorum qui in potestate sunt, consensus infirmi sunt.*

Senatus Regius, pergit Brodeau, conformiter ad citata Edicta saepius judicavit, idque tam quoad donationes inter vivos, quam testamentarias factas in favorem Monasteriorum; idque tam in patria juris scripti, id est, quae jure Civili utitur & regitur, quam patria consuetudinaria, quae scilicet proprio jure consuetudinario regitur, quicumque praetextus aut favor donationem comitaretur.

Plura Curiae Regiae arte ista ibidem notat & refert Brodeau; atque inter illa occurrunt nonnulla cum specialibus circumstantiis; quae ostendunt, aegre admodum admitti donationes factas à Novitiis in favorem Monasteriorum ad exclusionem consanguineorum haeredum ab intestato.

Uterius refert, quod an. 1635. 11. Jan. editum fuerit celebre regulamentum, per quod ad instantiam Advocati Regii, vetum fuit generaliter Superioribus Monasteriorum Monialium, recipere, aut permittere ut recipiantur ullae pecuniae pro admissione alicujus ad Religionem vel professionem; sed dumtaxat recipere possint aliquam pensionem vitalitiam moderatam, & quae respectu diutiorum excedere nequeat summam quingentarum librarum Parisiensium; idque sub poena nullitatis, & restitutionis ulterioris summae; quod & aliis pluribus sententiis postmodum confirmatum fuisse testatur.

Ac rursus an. 1667. ad instantiam Advocati Regii, generalior inhibito facta fuit per arrestum in modum Regulamenti emanatum à Parlamento Parisiensi, relatum in Libro cui titulus *Journal du Palais partie 2. pag. 169.*

XIV. Similiter cum quaedam nobilis puella ingressa Monasterium Urselinarum in Urbe Bruxellensi dedisset tum donatione inter vivos, tum per testamentum Monasterio quantitatem suorum bonorum ascendente circiter ad 36. millia florenorum, fratribus puellae se opponentibus huic dispositioni, quaestio coram iudicibus Regii dudum agitata, tandem 24. Decembris 1682. per sententiam Parlamenti Mechliniensis limitata & taxata fuit tam ipsa pensio Novitiatus, quam ipsa dos dictae puellae, & quae inde dependet, ad summam octo millium florenorum; tamen hi ipsi Fratres puellae consensissent, & judicassent, quod Rex posset illi, non obstante sua minorennitate, dare *veniam aetatis*, ad disponendum *liberè* de suis bonis: quam etiam *veniam* à Rege obtinuerat.

Rursus cum altera soror supra nominata puellae ingressa esset Monasterium Urselinarum in civitate Gandensi; ac ejus mater tam pro expensis novitiatus, quam dote promississet quatuor millia florenorum; ac postmodum ante professionem matre mortua dicta puella Monasterio donasset bona, sua quae ascendebant circiter ad 20. millia florenorum, rursus fratres puellae hanc donationem impugnarunt coram Concilio Flandriae, à quo 7. Maji an. 1683. declaratum fuit, quod Moniales Urselinae deberent esse contentae dictis quatuor millibus florenorum; omnem ulteriorem donationem & dispositionem in favorem Monasterii indebitè & nulliter factam. A qua sententia cum esset appellatum ad Parlamentum Mechliniense, declaravit 2. Septembris 1690. male appellatum, & bene fuisse à Concilio Flandriae judicatum.

Hinc

Hinc apparet, non tantum in Gallia, sed & Belgio hujusmodi donationes & dispositiones Novitorum aut Novitiarum in favorem Monasterii, praesertim excessivas esse odiosas, & multis titulis suspectas, & rescissioni ac annulationi obnoxias.

CAPUT.

De Examine Puellarum ante habitus susceptionem, & Professionem.

- 1 Decretum Synodi Tridentinae circa hoc examen.
- 2 Decretum Tridentinum quando duplex examen requiratur.
- 3 An hodie duplex requiratur?
- 4 Episcopus ejusve Vicarius vocari debet ad examen Puellarum etiam in Monasteriis exemptis.
- 5 Primum examen institui vult Synodus Trid. super voluntate & intentione puellarum, & ideo solae examinandae.
- 6 Potest etiam examen institui extra septa Monasterii.
- 7 Inquiri debet quo motivo inducatur ad Religionem.
- 8 Inquirendum num satis deliberavit priusquam resolverit ingredi Religionem.
- 9 Quaevis utrius nullus metus aut violentia interveniat.
- 10 Interroganda puella super his quae ad vitam Religiosam spectant.
- 11 Examinator tenetur Puella explicare, quid vota Religionis contineant, & ad qua vita Religiosa obstringat.
- 12 Quid de hac re decreverit S. Carolus.
- 13 Episcopi solliciti sint, ut doctos & prudentes Commissarios huic examini deputent.
- 14 Debet inquiri circa conditiones puellae.
- 15 Item utrum Monasterium sit idoneum.
- 16 Unde desumenda idoneitas: & quomodo hic subinde monenda Puella.
- 17 S. Congregatio alicquando prohibuit recipi Puellas ad Professionem ob relaxationem disciplinae Regularis.
- 18 Quid inquirendum circa Directores Monialium?

Synodus Tridentina libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospicere volens, statuit atque decrevit, "Ut si puella, quae habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat; nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, ac seducta sit, an sciat, quid agat: & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit; habueritque conditiones requisitas juxta Monasterii illius, & Ordinis Regulam, nec non Monasterium fuerit idoneum; liberè ei profiteri liceat, cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur Praefecta Monasterii eum ante mensem certiorum facere: quod si Praefecta certiorum rem Episcopum non fecerit; quam diu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit."

II. Ex verbis Decreti sat manifestum est, non tantum ante professionem, sed etiam ante habitus susceptionem, puellam majorem annis duodecim ab Episcopo ejusve Commissario examinandam esse; & ita saepius à S. Congregatione deoissimè esse refert post Piasecium, Zerolam alioque Fagnanum ad *Cap. CUM VIRUM De Regularibus*. Et ita mandatum fieri Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 24. c. 7.* Unde & duplex extat formula examinis, juxta quam in hac Mechliniensis Diocesi Commissarius Episcopi puellam, tum ante susceptionem habitus, tum ante professionem interrogare debet.

III. Credit quidem Diana, ut refert Zypaeus, "conlue-tudine obtentum, ut unicuique in professione sufficiat, non tamen, ait Zypaeus, illa est ubique uniformis: sed magis reverentes Canonum Sacrorum utrumque examen observant." In Jure novo *Tit. De Regularibus*.

IV. Utrumque examen etiam requirit Synodus P. II. Cameracensis *tit. 20. cap. 20.* additque: *Eriantur Monasterium sit exemptum*, quod non tantum S. Congregatio saepius de-

claravit, sed etiam quotidiana & notoria praxis confirmat, juxta quam Commissarius Episcopi solet vocari ad examinandas puellas professuras in Monasteriis etiam exemptis, & quae Regularium directioni & jurisdictioni subsumt. Examen circa tria potissimum institui vult Synodus Tridentina.

V. Primum quidem circa libertatem ac piam voluntatem puellae habitum susceptionem, aut professionem emissuram.

Hunc in finem vult Synodus P. II. Mechliniensis, ut Episcopus ejusve Commissarius, non aliter puellas examine-t, quam eas solas esse certo cognoscatur: ut hoc pacto major sit puellae, omnia quae in corde habet, eloquendi libertas.

VI. Quin addit S. Carolus in Synodo P. Mediolanensi V. "Quod si causa sit, probabilisve Episcopi iudicio suspicio, quamobrem potius esse censuerit, ut etiam à septis Monasterii puella egrediatur, & ut alio loco ejus voluntas perquiratur, tunc vel in Ecclesiam Monasterii exteriorem, vel in aliam proximam, prout commodius, decentiusve fieri viderit, illam perducere jubet."

Itaque Episcopi iudicio permissum credit S. Carolus, ut eo loco puellam examine-t, quo pro indaganda ac assequenda ejus sinceram voluntate ac intentione opportunius judicaverit.

VII. Pro assequenda facilius recta ac pia puella in assumenda vita Religiosa intentione & voluntate, merito ante omnia examen instituitur circa motivum, quo inducta fuit ad hunc statum; ubi prudens ac sagax Commissarius per interrogationes ac responsiones facile deprehendet, num humana consideratio sese non nimis immisceat.

VIII. Deinde inquit, à quo tempore coeperit hanc resolutionem; exponendo, quam periculosum sit, hujusmodi statum stabilem ac perpetuum praecipiti resolutione arripere; ideoque ulterius serio interrogabit, an saltem super negotio tanti momenti maturè deliberaverit, & consilium cum proprio Confessario, aut alia persona gravi coeperit. Hic merito advertet Commissarius num Confessarius, aut persona cui consilium communicavit, non habeat interesse, ut persona Religionem ingrediatur: aut sit satis doctus & prudens qui sanum consilium det; de quo indubie per Commissarium puella monenda ac instruenda est.

IX. Diligenter ac summa cum sagacitate exploranda, num nullus metus, saltem reverentialis ex parte parentum aut consanguineorum, ut minus indirectè vel oblique interveniat: quod eo diligentius inquirendum, quo circumstantiae magis aut minus metu hunc insinuant: v.g. quod sit familia quidem illustis, aut juxta vulgi existimationem notabilis, sed multis prolibus gravata, nec sufficiens, quae omnibus prolibus honestè secundum mundi existimationem in statu Matrimoniali provideat.

X. Uterius interroganda puella, an sciat, quid agat, & ad quae per Religionis professionem sit obliganda; an Regulam & statuta ac austeritates Religionis expenderit. An expenderit, quid sit vivere perpetuam castitatem, paupertatem obedientiam, clausuram &c.

XI. Haec sunt praecipua puncta praescripta in formula examinandi Novitias ante professionem & susceptionem habitus. Regularis in hac Provincia Mechliniensis, quae tamen parum ad dignoscendam voluntatem ac vocationem Novitiae valebunt, nisi ipse Commissarius non tantum probe sciat quid contineant, & ad quid obligent tria vota Religionis juxta mentem Patrum & Regularum, sed etiam sciat ea breviter & perspicue Novitiae explicare, atque ostendere, quod non sufficiat, vota ac Regulam, quam vivere intendit, observare prout in nonnullis relaxatis Monasteriis observatur; sed vota esse exsolvenda, prout verè coram Deo sonant, & Regula praescribit.

XII. Hinc S. Carolus in prima sua Synodo Provinciali vult, ut Commissarius Episcopi "Novitiae demonstret, quam gravis ea res sit, quamve multas res tria illa Religionis vota requirant, ut vinculi vim intelligat, quo se obstringi vult."

XIII. Ex quibus patet, quam Episcopi solliciti esse debeant, ut prudentes ac experti doctique Commissarii ad hoc

exa-

extremi deputentur, ne aliàs saluberrimum hoc Concilii Tridentini Decretum inanè planè reddatur; nihilque exinde proveniat, nisi aliquis nummus aut munusculum in commo- dum Archi-Presbyterorum aut aliorum Commissari- orum.

XIV. Secundo inquiri vult Synodus Tridentina, num pu- ella habeat conditiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis regulam: quod indubiè tam de conditionibus cor- poris, quam animæ intelligendum est: idque non tantum ut sustineat regulam prout forsan in Monasterio à relaxatis a- lii quibus servatur, sed prout ea juxta normam professionis servanda est.

XV. Tertio ex præscripto Synodi Tridentinæ inquirendū à Commissario Episcopi, an Monasterium sit idoneum, hoc est, tale sit, in quo ea sit Regularis disciplina, ut merito sperari queat, quod in illo ipsa puella vota sua exactè exsolvere, & vitam Religiosam sine salutis discrimine agere queat.

XVI. Quid enim si Episcopus ejusve Commissarius intel- ligat, omnes aut plerasque Moniales in illo Monasterio pec- cula possidere, atque vitio proprietatis infici, aliave vitia & regulæ disciplinæ relaxationes ibidem inolevisse? nonne merito judicabit, Monasterium illud esse inidoneum in quo

ipsa puella securè vota sua exsolvat, & vitam religiosam ga- gat? adeoque puellam jure merito monebit, ut attendat, an inter Moniales & Sorores à regula sua recedentes poterit ip- sa regulam inviolatam observare.

XVII. Sic legitur apud Fagnanum ad Cap. MONACHI De Statu Monach. quod S. Congregatio Cardinalium in pluribus Monasteriis Monialium, in quibus ex relatione E- piscoporū intellexerat non servari vitam communem, in- hibuerit receptionem puellarum ad professionem; perica- losum existimans profiteri in Monasterio, in quo Moniales omnes essent proprietariæ.

Quidni quoque Episcopus ejusve commissarius præfer- tim in Monasteriis exemptis attendat ad Confessarios & Di- rectores spirituales ipsius Monasterii? Quis enita nescit, quod ab idoneitate aut idoneitate illorum pro magna parte dependeat bonum vel malum regimen Monialium, quod- que graves molestias experiantur, si malos aut saltem pa- rum idoneos Directores fortiantur: ut merito etiam de hoc puncto puella moneatur; ubi serio expendat, itum difficul- tates, quæ hoc ex capite non raro oriuntur, sustinere pote- rit; ac sufficienter ponderaverit.

TITULUS XXVI.

De Simonia circa ingressum Religionis.

CAPUT I.

Est Simonia aliquid exigere pro sustentatione Professu- ri, dum Monasterium est sufficiens.

- 1 Disciplinam Monasticam multum enervat temeraria & præcepta ad Religionem admissio.
- 2 Ne hoc fiat cavenda est omnis temporalis lucri ex admissio- ne cupiditas.
- 3 Connexio hujus materia cum præcedenti.
- 4 Aliquem admittere ad Religionem amore pecuniæ Simo- niacum est.
- 5 Pro admissione ad Religionem pecuniam accipere est aequè Simoniacum, ac eam exigere ad Canoniatum.
- 6 Simoniacum est exigere pecuniam pro sustentatione Pro- fessuri, quando Monasterium est sufficiens.
- 7 Eadem ratione quæ illicitum est vendere præbendam anne- xam Canoniatui, etiam illicitum est vendere jus susten- tationis, quando Monasterium est sufficiens.
- 8 Jus sustentationis annexum est admissione ad professionem.
- 9 Primum ex intentione Fundatorum.
- 10 Secundo ex mente Ecclesiæ.
- 11 Admissus ad professionem etiam consequitur jus ad susten- tationem.
- 12 Nihil potest accipi pro jure sustentationis, quin una cen- seatur acceptum pro admissione ad professionem.
- 13 Probatur ex Gratiano.
- 14 Dum quis gratis admissus est ad Religionem, nihil potest accipi titulo sustentationis.
- 15 Proponitur novus titulus quo aliqui exactiones dotium à Simonia vindicare volunt.
- 16 Primum argumentum quo titulus illius infirmitas ostenditur.
- 17 Secundum argumentum.
- 18 Tertium argumentum.
- 19 Quartum argumentum.

Nihil est quod ipsam disciplinam Monasticam, ipsam- que Religionem ita natam sit enervare, imò pes- sum dare ac totaliter corrumpere, quam indiscretam ac præ- cipitem ad Religionem non satis probatorum admissionem titulo præcedenti notatum fuit: ac unà ostensum, nihil adeo à Monachorum Patribus & Ecclesiæ Prælati inculcatum, quam postulantium atq; Novitiorum sedulâ probationem & diligens circa mores & vocationem illorum examen.

II. Ut verò justum de vocatione & idoneitate postulan- tium ac Novitiorum formetur judicium, summo opere caven- dum, ne judicium per spem aliquâ lucri vel commodi tem- poralis ex admissione Postulantis aut Novitii consequendi corrumpatur; atq; hinc contingat, ut non tam morum inte- gritas ac vocationis signa in ipso Postulante expendantur, quam commodum temporale quod ex ejus admissione spe- rat: Nam ut in simili notat S. Gregorius, amor pecuniæ facit, ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla de vita discussio, sed solummodo dignitas, qui dare pre- tium suscepit, estimetur. Lib. 7. Epist. III.

III. Priusquam ergo de ipsa Religiosa professione agam, prius de Simonia, ex ipsa pecuniæ cupiditate seu avaritia profuente, agendum credidi, quam vel eo titulo studiosè cavendam in admissione ad Religionem, & Ecclesiæ Cano- nes & Monachorum Regulæ ac Constitutiones inculcant, quod per eam contingat, ineptiores non raro ad religionem admitti, & capaciores excludi.

IV. Amore pecuniæ alicui Religionis ingressum annuere cui ille negatus fuisset, si pecunia sine illa persona haberi po- tuisset; ita ut consequenter persona ad Religionem admit- tatur propter pecuniam, Simoniacum esse cum S. Bona ventu- ra tradunt Theologi & Canonistæ.

„Frequenter contingit (ait S. Bonavent. in Libello Apol. qu. 18.) ut personam recipiant amore pecuniæ, ita, quod si possent illam pecuniam habere sine persona istâ, non reci- perent personam; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt, & hoc penitus impurum est & Simoniacum; quia ibi pecunia causa est receptionis personæ & non e converso. Ubi ergo recipitur propter pecuniam, Simonia persona est, quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spirituales societas pro temporali, scilicet pro pecunia.

V. Imò si pro ingressu Religionis, seu admissione ad con- sortium spiritualis Societatis, sive vitæ Monasticæ pecunia exigatur, æque expeditum est apud omnes, Simoniam com- mitti à Religiosis exigentibus; non secus atque à Canonicis exigentibus pecuniam pro admissione alicujus ad Canonica- tum sive consortium spiritualis Societatis Canonialis.

VI. Illud quoque expeditum est, quod sicut Patronus aut Collator Canonicius est Simoniacus, atque ipsum Ca- nonicatum vendere censetur, si pecuniam non quidem di- rectè & principaliter exigat pro Canoniatu, sed pro-

præbenda temporali, seu jure recipiendi temporalia emolu- menta Canonicius annexa, ita quoque Simoniam commit- ti à Monasteriis opulentis seu sufficienter dotatis, si à Po- stulantibus admitti ad religionem exigant pecuniam, non quidem directè & principaliter pro ipso ingressu, sed pro sus- tentatione sive alimentatione, quam ei post professionem, tanquam uni de communitate Monasterium subministrare tenebitur.

VII. Ratio enim ob quam Patronus sive Collator Cano- nicatus per hujusmodi exactionem fiat Simoniacus, hæc est, quod Præbenda seu jus recipiendi temporalia sit ita anne- xum Canoniatui, ut Canoniatu obtento necessariò illud sequatur; adeoque Canoniatu gratis obtento, etiam unâ obtineatur jus recipiendi temporalia, tanquam ipsi Cano- nicatui inseparabiliter ex constitutione Ecclesiæ & mente Fundatorum annexum: ita ut de similibus sibi mutuo eo mo- do annexis & se concomitantibus rectè dixerit S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Rebus istis venditis, etiam spiritualia venditioni subici. Quia, teste Paschali II. in Can. 7. caus. 1. q. 3. Quisquis horum alterum vendit sine quo nec al- terum provenit, neutrum invenditum derelinquit.

VIII. Porro jus ad sustentationem non minus annexum esse admissione ad Religionem, sive professionem Religio- sam non minus tribuere jus ad alimentationem ex proventi- bus Monasterii ipsi Professo, quam admissio ad Canonica- tum tribuit jus ad præbendam temporalem Canoniatui anne- xam, ipsa conditio proventuum Monasticorum, sive mens Fundatorum, sive ipsius Ecclesiæ præscripta atten- dantur, evincit.

IX. Ea enim est, & semper fuit Fundatorum ac dotantium Monasteria intento, illudque desiderium, ut ex rebus eo- rum temporalibus alerentur ii, qui omnibus renuntiantes, tanquam pauperes in hoc sæculo Christo unice vivere vo- lunt, quemadmodum piè ac doctè exponit S. Augustinus in Ps. 103. & ex omnium penè Fundatorum atque dotatio- num antiquis monumentis est manifestum; eamque præ cæ- teris fusiùs ac luculentius in suo testamento expressit Piiissi- mus Cluniacensis Fundator Guilelmus Dux Aquitaniæ: qui postquam diutius secum deliberasset, quâ ratione per- temporales sibi datas divitias æternas mercari posset, dicit: „Hoc nullâ specie vel modo fieri posse videtur, nisi ut juxta Domini præceptum amicos mihi faciam pauperes ejus; utque hujusmodi actio non ad tempus, sed continuè pera- gatur, Monasticâ professione congregatos ex propriis sumptibus sustentem. Eâ siquidem fide, eâ spe, ut quamvis ipse cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi con- temptores, quos justos credo, susceperim, justorum mer- cedem accipiam... Præcipimus siquidem, ut maxime illis sit hæc nostra donatio ad perpetuum refugium, qui pau- peres de sæculo egressi, nihil secum præter bonam volun- tatem attulerint, ut nostrum supplementum sit abundantia illorum.”

E quibus perspicuum est, intentionem piissimam fuisse, ut his bona sua essent in sustentationem & supplementum, qui pauperes de sæculo egressi non pecuniam, aut aliud quidpi- am temporale, sed bonam solummodo voluntatem secum attulerunt.

X. De hac Fundatorum mente persuasus S. Gregorius scribit ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum: „Alicui Monasterio nec tu, nec Presbyteri tui præter diligentiam disciplinæ aliquid molestiæ inferatis. Aut si quid illic pro diverforum devotione accesserit, vobis vindicare astime- tis: Cum Monachis ibi servientibus debeas proficere, quidquid a fidelibus calter offerri contingit. Refertur in Cap. 1. de Statu Monach.

Deinde quidquid ex labore aut industria aliove titulo Re- ligiosis obvenit, non ipsis Monachis in particulari, sed ipsi Monasterio seu Communitati acquiritur; ut in omnium, qui de Communitate sunt, necessitates cedat; juxta illud Cano- nicitarum vulgare axioma: Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit.

XI. Quæ ostendunt rectè jam pridem notasse Dionysium

Carthusianum Lib. 1. De Simonia art. 11. „Quod (Re- gulares) recipiendo ad Ordinem seu vitam Monasticam, recipiant eum ad vitam communem & eorum quæ ha- bent faciant eum participem secundum institutionem & intentionem SS. Patrum, qui Ordines fundaverunt.”

XII. Cum ergo Monachi vi suæ professionis & admissio- nis ad Societatem Monasticam consequantur jus vivendi ex bonis Monasterii, æquè ac Canonicus vi suæ admissio- nis adipiscitur jus ad præbendam, consequens est, quod, si quid pro jure alimentationis seu sustentationis ab Ingrediente exi- gatur, nec ipsum quoque ingressum gratis dari; atque hæc quoque applicari possit illud dictum Paschalis II. supra rela- tum: Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alie- rum provenit, neutrum invenditum derelinquit.

XIII. Neque hic illud applicare jam pridem dubitavit Gra- tianus noster: „Sed adhuc obijciunt, ait, quod qui ingressuri Monasterium pecunias tribuunt, non propositum Religio- nis, sed participationem stipendiorum Ecclesiæ emunt. Temporalia ergo, non spiritualia ementes, nequaquam Simoniaci habendi sunt. His itaque respondetur, non so- lum qui spiritualia, sed etiam qui temporalia eis annexa pretio accipiunt vel tribuunt, Simoniaci judicantur.” Hæc Gratianus Caus. 1. q. 3. qui in suæ dictionis confirmationem, inter cæteras Patrum & Canonum auctoritates, jam allega- tum Paschalis II. dictum adducit.

XIV. „Itaque spiritualibus (scilicet admissione ad Ordinem & professionem) primò gratis exhibitis, non possunt Religiosi (ait Dionysius Carthusianus Lib. 2. De Simonia art. 4.) à recepto aliquid temporale exigere per mo- dum debiti persolvendum aut exhibendum, nec tanquam pretium Religionis, nec tanquam sustentaculum vitæ, ad quod exhibendum jam se ipsos obligaverunt.”

XV. Sunt nonnulli qui Simoniam committi fatentur, si vel pro religionis ingressu, vel pro sustentatione ingressi post professionem temporale quidquam exigatur, sed secus, inquit, si ut Monasterio provideatur de mediis unde sus- tentare Professum poterit & liberetur ab incommodis ex alimentatione professuri securus.

XVI. Sed nonne, dum aliquid exigitur à Professore, ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professu- rum poterit, re ipsa exigitur pro sustentatione vel alimenta- tione, ipsi Professore tanquam uni de communitate ex pro- ventibus Monasterii subministranda?

XVII. Num quisquam credat, Simoniam non in verbis dumtaxat consistere, si dicamus, Simoniam committi, dum ab ingrediente aliquid exigitur pro sustentatione, nequaquã verò committi, si exigatur ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professurum poterit?

XVIII. Insuper si hoc colore exigere liceat; atque simili formatione intentionis, & verborum adnotatione & ex- pressionem exactiones rerum temporalium à labe Simoniaca eximi possint; nonne non inutilia dumtaxat, sed & ridicula reputanda tot Ecclesiæ Decreta, & Monachorum statuta, quibus cavetur, ne ab iis qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia exigatur; quibus itidem distictè inhibetur Religiosis universis, ne à volentibus ingredi eorum Mona- steria, nec ante nec post receptionem, pecunias aut res alias, etiã ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum deputatas vel deputandas directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant; quemadmodum loquitur Extravagan. Sane in vinea, De Simonia, nec non alia Decreta inferius citanda.

XIX. An dicemus, Monasteria illa gratis ad Religionem postulantes admittere; eo quod Religiosi sciant suam for- mare intentionem, quod non exigant pro admissione ad Re- ligionem aut sustentatione Professuri, sed ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professurum poterit?

XX. Denique quid opus erat tot iteratis Decretis ad elimi- nandam hanc Simoniam, si Ecclesiæ credidisset, monasterio- rum Superiores & regulares exigentes & stipulantes pecu- niam seu dotem ab Ingressuris à Simonia immunes, modò intentionem suam formarent, se pecuniam non exigere pro receptione ad Religionem, aut sustentatione Ingressuri post